


Johann Cothmann   Hermann Koch

**Disputatio Theologica, De Sacra Coena In qua Christi theanthropu S. Coenae  
Auctoris & Institutoris omniscii & omnipotentis auxilio**

Rostochi[i]: Pedanus, 1635

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn739695053>

Druck   Freier  Zugang



Vert.: H. Loeccaeus

Joh. Cothmann.

R. U. Hist. 1635/c



DISPUTATIO THEOLOGICA;  
De  
SACRA COENA

In qua  
Christi θεασθέντος S. Coenae Auctoris & Institutoris  
omniscij & omnipotentis auxilio,

PRÆSIDE  
JOHANNES COTHMANNUS  
SS. THEOLOGIAE DOCTORE  
& Professore,

Respondet  
HERMANNUS COCCÆUS  
Lemgovia-Westph.

In ἀρχαίῃσιν majori 8. fol.



ROSTOCHI,  
Litteris Viduae Joachimi Pedani, Acad. Typ.

ANNO M. DC. XXXV.

1635

LIBRARY OF THEOLOGICAL  
UNIVERSITY OF COBLENZ

JOHANNES COHEN

JOHANNES COHEN



THE R M A

In anno


1753



Rostock

Imprimis

1753



LUC. 22. V. 20.

Τὸ πρῶτον ἢ καινὴ διαθήκη ἐν τῷ αἵματι μου τὸ  
ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυρόμενον.

*Proœmium.*



*Ambrosius* Episcopus Mediolanensis oratione in morte *Theodosij* Imperatoris habita, inter alia inquit: Si privatorum ultimæ voluntates & deficientium testamenta habent perpetem firmitatem: quomodo potest tanti principis esse irritum testamentum. Et *Theodoretus* in Epistolam ad *Galat.* p. 106. ait: Testamentum quod ritè & ordine ab aliquo factum est, ab aliquo everti non potest, sed nec fieri potest, ut ei aliquid addatur. Quæ si vera sunt de ultimis hominum voluntatibus, quid de ipsius filij Dei ultimâ dispositione testamentaria affirmabimus? In qua, rectè dicente *pelargo*, non aurum & opes perituræ, sed pignora certissima remissionis peccatorum & vitæ æternæ nobis legantur. Ut ergò voluntas Christi testamento nobis patefacta, magis magisque innotescat, animus est, annuente Deo, verba: *accipite, edite, hoc est corpus meum.* Item: *Bibite hic est sanguis meus,* repetere, eorumque verum & genuinum sensum exponere. Methodicè autem progressuri, sequentia distinctè considerabimus membra. 1. Quid notet verbum accipite. 2. Voces edendi ac bibendi, quo sensu in hac præsentī materia sumantur. 3. Pronomen Hoc quid designet 4. copula est, quid indigites & 5. vocabula corpus & sanguis, quam significationem obtineant.

A 2

Mem-

*Membrum primum, quid notet verbum*  
*accipere.*

1. *Bucanus* *Loc. 48. Quæst. 33.* quid sit in hac materia: accipere, exponens, ait: Apud Evangelistas λαβειν sive λαμβανειν, propriè de manu intelligitur. Et *Matthias* *Martinus Tract. 5. de signaculis Fœderis Nat. & Grat.* quid sit accipere, quærens respondet: manu apprehendere. *Bucanus* sub finem *Quæstionis* allegatæ hæc subjungit verba: Quamobrem qui offulas integras ori non manibus offerunt, adhuc papissare sese, & superstitutionis fomitem fovere, nescio qua ratione inficiari possunt.

2. *Beza* licet accipiendi verbum de manus prehensione in Cœnæ institutione intelligendum esse affirmet: non tamen diffiteretur & illos sacramentalem sumptionem adhibere, qui ore duntaxat absque officio manus Symbola Sacramentalia accipiunt. vide eundem hæc de re differentem *Epist. 2.*

3. Nos arbitramur rem esse indifferentem Ecclesiæ libertati relictam, sive ipse communicans panem & calicem manu sua sumat, & postea ori admoveat; an verò utraque ex ministræ manu accipiat. Cum enim hujus rei nullum neque mandatum, nec prohibitio extet; hinc inter adiaphora illam esse referendam colligimus. Quod ipse *Calvinus Lib. 4. Institut. cap. 17. §. 43.* non inficiatur. verba ejus hæc sunt; Cæterum quod ad externum actionis ritum spectat, in manum accipiant fideles. nec ne: inter se dividant, aut singuli quod sibi datum fuerit edant: calicem in Diaconi manu reponant, an proximo tradant, &c. nihil refert. Hæc indifferentia sunt, & in Ecclesiæ libertate posita. Hactenus *Calvinus.*

4. Et quamvis ex discubitus Christi & Apostolorum modo; vide *Luc. 22. v. 14.* quo protensi recumbebant humi, circumlum quendam facientes, capitibus quidem semper introrsum, pedibus verò extrorsum porrectis. *Elac. in Clay. voce: Sinus:* colligi posse videtur, Apostolos panem & calicem Eucharisticum à Christo datum manibus accepisse; inde verò nulla idem faciendi nos obligat necessitas, quod *Beza* agnoscens.

Scens citata supra *Epistol. 2.* scribit: num igitur peccare dicemus Ecclesias, apud quas non alij alijs sacramenta tradunt, sed ex ministris vel Diaconi manu sigillatim omnes accipiunt, ex diversis etiam poculis bibentes? Minimè profectò, quoniam ipsa sumptio, non autem sumendi modus præcisè præscribitur. Alioquin ostendant nobis oportet, qui aliter sentiunt, quid peculiaris mysterij in ista digitorum prehensione lateat: Hæc Beza.

5: Respondemus ergò cum *August. ex Tom. 2. Epistol. 113.* Quod neque contra fidem neque contra bonos mores injungitur, indifferenter est habendum & pro eorum inter quos vivitur societate servandum est. Imprimis cum verbum *λαμβάνειν* & *λαβῆναι* sit valde generale, omnem designans sumptionem, quacunque corporis parte aut instrumento fiat. *Matth. 7. v. 8. c. 8. v. 17. Marc. 4. v. 16. Joh. 13. v. 20. c. 16. v. 24. c. 20. v. 22. Act. 1. v. 8. Gal. 3. v. 2. Apoc. 22. v. 17. & passim.*

6: Et licet faciles demus verbo *λαμβάνειν* & *λαβῆναι* notari quandoque prehensionem, manus organo peractam ut *Luc. 22. v. 19. 1. Corinth. 11. v. 23.* Unde sine dubio aliquandiu temporis in Ecclesia *Eusebio Lib. 7. Histor. Eccles. cap. 8. & Theodor. Lib. 5. Histor. Eccles. cap. 17. Tertullian. de Idololatria p. 73:* testibus mos ille invaluit, ut communicans manus ad suscipiendum sanctum cibum, ut *Euseb. loquitur*, vel: ad accipiendum corpus Domini quæ *Theodoret. verba sunt*, extenderet: (qui tamen mos teste *Sixto Senensi Bib. Sanct. Lib. 6. Annot. 152.* ad præcavendum ab usum quo de vide *Sozom. Lib. 8. cap. 5.* postea mutatus fuit) hinc tamen non infertur, illam solam voce hac notari, cum *Joh. 19. v. 29. 30.* de potu usurperetur, non manu, sed ore tantum percepto, conf. *Mar. 15. v. 23.*

7: Cæterum urgentes hanc consuetudinem, posse rectè Eucharistiam celebrari, quando symbola panis & vini non manibus attrahantur sed communicantium ore solum percipiuntur; alienos tamen nos esse à quorundam papicularum superstitione fatemur, existimantium, indignum esse panem aut poculum sacrum laicorum manibus attingi. Quasi verò os manibus Sanctius? & annon crebrius ore, quam manibus peccamus? Et tantum de membro primo.



*Membrum secundum, quid voces edendi &  
bibendi in hac presenti materia  
notent.*

1. *Bergius* disput. *Francos. habita*, verba institutionis Cœnæ præceptiva: manducate, Bibite, de pane & vino tantum exponit, ideoque comestionem & bibitionem solum naturalem intelligit, illa verò sententia, cum sit falsissima; sequeretur enim Christum nullam corporis sui ac sanguinis manducationem & bibitionem in S. Cœna instituisse, alijs ex eadem tamen schola minus probatur, affirmantibus, vocabula edendi & bibendi in S. Eucharistia respectu panis propriè & naturaliter: respectu corporis & sanguinis Christi metaphoricè & figuratè esse exponenda, illamque expositionem approbant *Martyr contra Gardinerum* p. 843. *Beza* in summa doctrinæ de re sacramentaria. p. 209. & part. 1. ad Acta Colloq. *Momp.* p. 34. *Bucan* Loc. 47. *Quæst.* 36. *Ursin.* onfess. de S. Cœnâ. p. 415. *polan.* in *Syntag.* Lib. 6. cap. 56. p. 454. calijque

2. Nos memores istius: qui simpliciter ambulat, tutò amat, freti clarissima omnipotentis Christi testamentaria institutione, (Institutio enim Christi ut *Calv* admonit. ult. ad *VVestph.* p. 838. rectè ait, lex & regula est peragendæ Cœnæ) à tribus Evangelistis & ipso Apostolo, fidelissimis Spiritus S. amanuensibus, descripta, verba: edite, bibite, ut sonant literaliter, proprietate Grammatica intelligenda esse asserimus. Cum enim Christus morti vicinus testamentum aliquod (licet id *Beza* contra expressa loca *Luc.* 22. v. 20. *1. Corinth.* 11. v. 25. in coll. *Momp.* p. 46. *neget*) eondiderit, & ut omniscius testator lites futuras cum multarum animarum dispendio, motum iri præviderit, quis dubitaret Christum, ut locutus est, ita illum quoque sentire, quippe qui sine ulla difficultate, si alium sensum, quàm litera importat, expressum voluisset, indicare potuisset. Cum ergò testator Christus morti propinquus, claris & perspicuis verbis sanciverit, & à tribus Evangelistis ac ipso Apostolo idem repetitum sit: ut in Ecclesiâ manducantes panem benedictum & bibentes vinum, Sacra illa Symbola, eadem una & indivisâ actione manducemus

ducemus & bibamus corpus & sanguinem suum, quis eò audacia progredetur, ut Christo conceptis verbis affirmanti, contradiceret?

3. Quamvis autem id rationi nostræ, sibi soli relictae à *ἅ τινι ἰσχυρῶς* videatur; novimus tamen nos curtâ rationis nostræ decempeda, immensum hunc religionis nostræ agrum metiri non posse. Hunc igitur Servatori nostro reverenter exhibemus honorem, testamento ejus simpliciter, sine extraneâ verborum interpretatione, credentes. Unde *Musc.* in *L. C. p. 449.* rectè ait modò rectè applicaret: placet mihi omnibus modis, ut verba hæc Domini religiosissimè retineamus, nec ullum ex eis invertamus. Licet verò nostra hæc simplicitas, qua rationem in mysterijs hisce cœcam ad obædiendum Christo captivamus, *2 Cor. 10 v. 5.* nobis hic contradicentibus, displiceat: Unde *D. Franc. disp. de Cæna. Th. 23.* obbrutescere nos circa comedendi vocem affirmat: Scimus tamen conscientia nostræ longè rectius & melius consulti, si Christum, non rationis nostræ ductum, sequamur: hunc enim audiendum pater præcepit cœlitus. *Matth. 17. v. 5.*

4. Id considerans Melanchthon, (quem *Ursin.* de verâ sententia August. Confessionis. *p. 571.* à pietate, sanctitate, candore, doctrina, &c. commendat) hunc in modum ad Fridericum Myconium perscribit: Ego nullam satis firmam rationem invenio, cur ab hac sententia (quam Lutherus & nos cum illo hætenus præviâ Christi institutione defendimus) discedamus. Fieri potest ut alia sententia (Calvino & asseclis probata) blandiatur otioso animo, quæ est magis consentanea humano iudicio, præferim sic instructa & ornata argumentis eruditè excogitatis. Sed quid fiet in tentatione, cum disputabit conscientia, quam habuerit causam dissentiendi à recepta sententia in Ecclesia? Tunc ista verba: Hoc est corpus meum, fulmina erunt. Quid hic opponet mens perterrefacta, quibus scripturis, qua voce Dei se muniet, &c. Idem ait *B. Luth. Tom. 3. Jen. p. 488. 489.*

5. Ut vero sententiæ nostræ veritas eò distinctius ac clarius percipiatur, & ab adversariorum prava interpretatione liberetur, observandum est, aliam esse manducationem physicam aliam

SANTA.

*Sacramentalem*, aliam verò *spiritualem*. *Physica* manducatio est actio, qua cibus instrumento oris perceptus, in ventrem per guttam traiecitur, ubi mutatur in Chylum: deinde partim vertitur in nutrimentum, carnem & sanguinem; partim verò per secesum eijcitur. Manducatio Sacramentalis, quæ juxta Christi institutionem peragitur, ore quidem fit (unde ob perceptionis instrumentum, non autem manducationis modum oralis dicitur) semotis tamen consequentibus actionibus & alterationibus physicis, unde hæc manducatio, nil cum physica, oris instrumento excepto, commune habet. Hæc ergò manducatio sacramentalis, non solum panem benedictum ac vinum respicit, sed & simul unà ac indivulsâ actione corpus & sanguinem Christi complectitur. Quemadmodum enim sacrum Cœnæ mysterium duabus rebus, terrena scilicet & cœlesti ut *Irenæus* loquitur *Lib. 4. Advers. Hæres. cap. 34.* circa finem, constat, concedente & urgente ipso quoque *Calv. Lib. 4. Instit. cap. 17. §. 11.* ita quoque manducatio & bibitio sacramentalis, non materiam solum terrenam: hæc enim Sacramentum non absolvit, sed & simul cœlestem complectitur. Ita tamen ut discrimin sit manducationis corporis Christi ac panis benedicti: Item bibitionis sanguinis Christi, ac vini benedicti. panis ac vinum percipiuntur instrumento oris ἀμείσως: corpus ac sanguis Christi eodem organo sumuntur sed ἐμείσως, quatenus panis est *ἁρτοποιία καὶ σώματα*: & vinum est *ἁρτοποιία καὶ μετὰ τὴν αἰμαίναν καὶ χεῖμα* 1. *Corint. 10. v. 16.* Et quemadmodum Spir. S. descendere dicitur *Luc. 3. v. 22.* quando columba, cum qua singulari modo univus fuit, descendit: ita corpus Christi & sanguis ejusdem in mysterio Sacramentæ Cœnæ, manducari & bibi dicuntur, panem manducato, ac bibito; panis quippe ac vinum Sacramentale, non sunt nuda ac inania Symbola, sed in unione considerantur. Hæc cum sint verissima, falsum esse, oportet quod *D. Franc. p. 2. Lamp. disp. 18. Thes. 9.* ait: Sacramentaliter edere corpus Christi, nihil aliud est, quam accipere signum visibile corporis Christi & *Th. 11.* manducatio sacramentalis, non complectitur corporis Christi manducationem. Et hæc hæc - aus de manducatione sacramentali.

6. Spiritualis manducatio fide duntaxat perficitur, proprieque loquendo nil aliud est, quam bonorum merito Christi partorum participatio, quæ fit quoque extra sacramentum Cœnæ, de hac agitur *Joh. 6.* Hæc autem cum Sacramentali nequaquam est confundenda, præmissa triplicis manducationis distinctione. Secundò considerandum venit, quomodo intelligendum sit: corpus & sanguinem Christi mediante pane & vino comedi ac bibi propriè. Nam duplex est proprietas: una dicitur *Grammatica sive literalis*: altera est *physica*. priori modo aliquid affirmatur esse proprium, quod non est tropicum aut figuratum, sed uti verba sonant intelligitur. Sic filius Dei est *ἰδιὸς υἱὸς Rom. 8. v. 32.* & habet *ἰδιὸν πατέρα Joh. 5. v. 18.* conceptio item Christi in utero castissimæ virginis hoc modo propria est, quis verò hinc colligeret: propriè talia dicuntur, ergò physicè? In præsentia materia comedendi & bibendi voces propriè ut litera sonat, intelligendæ; inde tamen inferre haut licet, manducationem esse physicam: qualis enim est unio panis cum corpore, ac vini cum sanguine, talis eorum oralis est manducatio. Quia verò unio physica non est, ita nec oralis manducatio talis censenda. Et sicut unio Sacramentalis est, hoc est mystica & supernaturalis, facta ordinatione & institutione peculiari Christi: ita & manducatio oralis Sacramentalis est. Quam juxta Christi institutionem simplici corde credimus, modum & rationem licet ignoremus.

7. His ita præsuppositis duo breviter probanda veniunt: primo: comedendi ac bibendi voces, in propositione hac simplici: edite, hoc est corpus meum: bibite, hic est sanguis meus, unam tantum eamque propriam, proprietate antè explicata, sustinere significationem. Secundo: illa posita assertione, corpus & sanguinem Christi in S. Cœna mediante pane & vino juxta veracissimi & omnipotentis Christi institutionem oraliter (loquendo de organo non manducationis modo) manducari ac bibi.

8. Primum sic probamus. 1. Quæcunque voces propriæ ac literali significatione accipiuntur: illæ in una simplici propositione non possunt esse tropicæ. At comedendi ac bibendi

B

voces

voces propriâ ac literali significatione accipiuntur. Ergo in una simplici propositione nequeunt esse tropicæ. Major certissimæ veritatis est, vocabuli enim unius nequit esse significatio duplex eaque opposita: sicut namque unum quæ tale, non potest esse duo, ita nec nomen unum in simplici enuntiato plures admittit notiones oppositas. Minor ab aduersarijs nostris admittitur, ita enim *Matth. Martinus. Tract. 5. cap. 10. p. 299.* quærens quid hic sit edere? Respondet, quum de pane dicitur illa vox propriè accipitur. Item, quid sit bibere interrogans? Respondet, potum ore assumere.

9. 2. Ubi panis & corpus, vinum & sanguis percipiuntur non ut res disjunctæ sed ut Sacramentaliter unitæ, ibi non duplicata, sed una est manducatio & bibitio. At in S. Cœnæ usu panis & corpus: vinum & sanguis percipiuntur, non ut res disjunctæ, sed ut Sacramentaliter unitæ. Ergo non duplicata aut gemina, sed una est manducatio & bibitio, unitati ac unioni Sacramentali respondens. Quemadmodum enim Sacramentum Cœnæ unum non geminum est: ita neque actiones Sacramentales geminæ sunt. Et sicuti quæ de Christo dicuntur ratione personæ, non sunt gemina, quia persona talis non est. Similiter quæ de S. Cœnâ affirmantur, tanquam uno sacramento, respectu unionis sacramentalis non possunt esse gemina.

10. 3. Cum *D. Mentz. p. m. ex Tom. 3. Giess. p. 210.* ita argumentamur: omnis actio singularis, quæ occupatur in objecto sibi proprio, est una non gemina sive duplex. Manducatio sacramentalis Sacræ Cœnæ propria, est actio singularis, quæ occupatur in objecto sibi proprio, nempe cibo sacramentali, hoc est, corpore Christi sacramentaliter unito panis. Ergo manducatio sacramentalis S. Cœnæ propria est una, non gemina. Posito effato hoc certissimo, alterum probandum restat, corpus & sanguinem Christi mediante pane & vino prævia Christi institutione, oraliter manducari & bibi. 1. Quod Christus discipulis mediante pane & vino manducandum & bibendum dedit, illud ore corporis manducare ac bibere debuerunt. Atqui corpus & sanguinem suum pro nobis in mortem traditum, mediante pane &

re & vino manducandum ac bibendum dedit. Ergo illud orē  
 corporis manducare ac bibere debuerunt. Major & Minor ex  
 collatione Evangelistarum & ipsius Pauli evidenter constat,  
 præsupposito immoto hoc principio, ad comedere ac bibere li-  
 teraliter, sensu illo quem recepta vocis significatio importat  
 sumi. Ut verò assertio hæc clarius pateat, singulos brevissi-  
 mè percurramus Evangelistas & ipsum Apostolum. *Matthæus*  
 ait *cap. 26. v. 26.* Christus dedit discipulis & ait: accipite, come-  
 dite, hoc est corpus meum. Item: bibite ex hoc omnes. Hic  
 est enim sanguis meus Novi Testam. qui pro multis effunditur.  
*Marcus* inquit: *cap. 14. v. 22 23.* dedit illis ac dixit, sumite, come-  
 dite hoc est corpus meum, & postquam ex poculo biberunt,  
 subjungit: Hic est sanguis meus Nov. Testam. qui pro multis  
 effunditur. *Lucæ* verba hæc sunt *cap. 22. v. 19.* dedit eis dicens  
 Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur. Item: Hoc po-  
 culum Nov. Testam. per sive propter sanguinem meum. Pau-  
 lus his utitur verbis *1. Corinth. 10. v. 16.* panis quem frangimus  
 nonne est communicatio corporis Christi, poculum benedictio-  
 nis, cui benedicimus, nonne est communicatio sanguinis Chri-  
 sti? Capite sequenti, ubi integram Christi repetit S. Cœnæ in-  
 stitutionem. *v. 24.* conceptis & claris verbis inquit: accipite. edite,  
 hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur. Item: pocu-  
 lum hoc Novum Testam. est in, sive ut *Beza* non malè legit, per  
 meum sanguinem. Evangelistarum hanc, ut & ipsius Apostoli  
 Harmoniam rectè considerantes, de sententiæ nostræ veritate  
 nihil hæsitamus. Non enim illos imitamur qui verba S. Cœnæ  
 oculo sinistro, alia verò quæ ratio subministrat, & contradictio-  
 nes falsò nominatæ scientiæ *1. Timoth. 6. v. 20.* sibi fingit oculo  
 dextro intuentur. Novimus enim Testatorem hūc esse omnipo-  
 tentem & omniscientem, qui cum potens est ad illa quæ ex-  
 pressis verbis promissit præstanda: tum mille novit modos, id  
 quod dixit implendi, rationi nostræ incognitos. Hinc *B. Luth.*  
 eleganter de verbis Cœnæ ait, in *Catechismo Majori p. 553.* Hoc  
 non est alicujus principis aut Cæsaris, sed omnipotentis Dei  
 verbum & institutio, cui meritò omnes creaturæ debebant ad  
 B 2 pedes

pedes accidere atque assentiri, ita se rem habere sicut dicit ipse, omnique reverentia, metu & humilitate illud accipere, &c. Non ergo cum orthodoxo consensu dicimus. p. 89. non oportet simpliciter intueri verba Christi; hoc enim est carnaliter intelligere, &c.

II. 2. Quaecunque in uno & eodem Sacramento, unâ & eâdem actione sacramentaliter sunt unita, illa uno eodemque organo percipiuntur. At in ipso S. Cœnæ usu panis & corpus vinum & sanguis in uno & eodem sacramento unâ & eâdem actione sacramentaliter sunt unita. Ergo uno & eodem organo percipiuntur.

Majoris consequentia in loco Paulino 1. Corinth. 10. v. 16. fundatur ubi disertis verbis Apostolus affirmat: poculum benedictionis esse communicationem sanguinis Christi. Item: panem fractum & distributum esse communicationem corporis Christi. Unde immotè sequitur: Quicumque communicat pani fracto & distributo, ac poculo benedicto, is edendo & bibendo communicat juxta Christi omnipotentis institutionem: edite hoc est corpus meum: bibite hic est sanguis meus. Chrysostomus erat. 24. in 1. Corinth. 10. p. 532. verba Apostoli explanans ait: id quod est in calice, est id quod fluxit è latere & illius sumus participes. Haymo Episcopus Halberstadensis in 1. Corinth. 10. inquit: ex quo pane quicumque communicant, corpus Christi edunt.

12. *Παρεὺς* locum hunc elusus excipit Paulum loqui de *κοινωνία* spiritali de qua Joh. 6. 15. ut & 1. Joh. 3. & 4. ad Ephes. 3. agatur. Verum confundit *Παρεὺς* *κοινωνία* spiritivalem, quæ fit sola fide, cum *κοινωνία* sacramentali, qua mediante pane benedicto ac vino participamus ipsum Christi corpus & sanguinem, modo in Cœnæ institutione monstrato. Contextus enim monstrat Apostolo de illa sermonem esse *κοινωνία* καὶ μεθ' ἡμῶν impij idolorum cultoribus quoque communi, de quibus v. 21. affirmavit, quod jure & salva conscientia, (id enim phrasi: non potestis, vide alia loca, Gen. 24. v. 50. cap. 34. v. 14. Deut. 16. v. 5. Num. 9. v. 6.

2. 6. 2 Corinth 13. v. 8. & passim, indicatur) calicem Domini ac poculum Dæmoniorum bibere nequeant. Hic cum organo spiritualis ~~reuerentias~~ fide scil. destituantur, spiritualiter quoque Christi participes esse non possunt. Hic enim recte usurpatur illud Apostoli 2. Cor. 6. v. 15. quæ concordia Christo cum Belial, aut quæ pars fideli cum infideli?

13. 3. Repeto Syllogismum antehac D. Franco oppositum: Qualis in S. Cœna corporis & sanguinis Christi cum benedicto pane & vino manducatio & bibitio, tale quoque manducationis & bibitionis est organum. At distincta à spirituali in S. Cœna corporis & sanguinis Christi cum benedicto pane & vino manducatio & bibitio est. Ergo quoque distinctum manducationis & bibitionis sacramentalis, corporis & sanguinis Christi cum benedictis symbolis est organum. Quod hic à D. Franco *disp. 18. part. 2. Th. 9 & 11.* regeitur manducationem scil. sacramentalem non completi corporis Christi manducationem, addita ratione: quia quicquid sacramentale est, visibile & sensibile est, aperte petit quod est *τὰ ἐν ἀρχῇ*. Nam plane absurdum est manducationem sacramentalem, ad solum referre panem Eucharisticum, cum manducatio solius panis naturalis sit, non sacramentalis. Et sicuti panis & vinum non sunt integrum sacramentum ita quoque manducatio & bibitio solum elementorum non absolvunt neque constituunt solum manducationem & bibitionem sacramentalem. Quid? quod ipse D. Francus *disp. 3. part. 1. Lamp. Th. ult.* Sacramentum S. Cœnæ definiat, definitione ut dicit, quæ omnes numeros absolvat & litigantium parti utique satisfacere possit: Eucharistia est pignus ac symbolum resurrectionis nostræ, consistens sumptione panis & vini, & verâ communionem corporis atque sanguinis Christi ad præstandam corporibus nostris immortalitatem. Quicquid ergo ingreditur definitionem sacramenti, illud à manducatione sacramentali abesse nequit. At communio corporis & sanguinis Christi, ingreditur definitionem sacramenti. Ergo à manducatione sacramentali abesse nequit.

14. Hoc posito quartum pro orali manducatione exsurgit

B 3

argue



argumentum. Quæcunque in oratione unica exhibitiva, ea-  
que propria sine tropo explicata ac intellecta, ut res duæ con-  
junctim ore corporis sumendæ porriguntur, illæ etiam conjun-  
ctim ore corporis eduntur. At panis & corpus, vinum & san-  
guis unica oratione exhibitiva, eaque propriè sine tropo in-  
tellecta, ut res duæ conjunctim ore corporis sumendæ porri-  
gantur. Ergo etiam conjunctim ore corporis eduntur. Major  
certissima est. Ad minorem quæ de duplici manducationis &  
bibitionis significatione regeri solent, supra *Th. 8. 9. 10.* sunt  
discussa. Et hætenus breviter sententia nostra fuit exposita,  
quæ Christi omnipotentis, omniscij & omnisapientis unicè inni-  
titur dispositioni testamentariæ, cui licet humana curiositas  
multa obijciat, quasi hæc sententia multos fidei nostræ Arti-  
culos convellat, ut *Ursin.* ait in *Confess. de Cœna Domini p. 417.*  
Scimus tamen cui credidimus, ille verax est, quæque verissimo  
ore locutus potens est præstare *Luc. 1. v. 37 Matth. 19. v. 26. Genes. 18.*  
*v. 14. Num. 11. v. 23.* nos licet homunciones modum præstandi in  
vitæ hujus densa caligine ignoremus.

*Membrum tertium, pronomen: Hoc*  
*quid designet.*

i. Communis ferme est illorum Calvini castra sequen-  
tium opinio, pronomen: *Hoc* ad solum panem referendum. Un-  
de *Ursinus in Catechesi. p. 265.* *Hoc, id est hic panis.* Eiusdem senten-  
tiæ est *Beza de re sacramentaria p. 209. Bucan p. 686.* alijque. *D.*  
*Francus disp. 11. Thes. 4.* hanc sententiam adeo certam veritati-  
que consonam esse ait, ut dicat. Assertio hæc sua fulget luce.  
*Bellarmin.* pontificiorum sententiam exponens *Lib. 1. de Sacram.*  
*Eucharistiæ cap. 10.* ait: *Hoc demonstrare non panem, sed rem*  
*contentam sub speciebus panis.* Cur verò illam sententiam  
amplectatur ad confirmandum scil. transubstantiationis fi-  
gmentum non dissimulat. Confestim enim subjungit: quæ  
erriante fuerat panis, tamen tunc jam erat Christi corpus. Ab  
utrisque nos sejungentes, pronomen *Hoc* cum panem tum cor-  
pus Chri-

pus Christi quod mediante pane Christus iussit discipulos edere, intelligimus. Intelligitur enim vocabulo Hoc id, quod Christus non solum accepit, fregit, sed & illud quod accipere & comedere præcepit. Et hunc sensum non solum ipsa requirit Grammatica (si namque denotaretur solus panis, quæ foret constructio ἀρ(ο) τῶ(ε)) sed & verborum emphasis illam explanationem postulat. Christus enim dicit: accipite, comedite, & de illo quod comedere iubet affirmat, esse corpus suum. Quod ergo Christus discipulos iubet comedere, illud particula hoc notat, at non solum panem, sed & simul corpus suum iubet comedere. Ergo particula Hoc non solum panem sed & simul corpus notat.

2. Locus Apostoli 1. Corinth. 10. v. 16. hanc non infringit sententiam; quamvis enim si sensum & rem ipsam spectemus propositio Christi & Apostoli eadem sit; prædicandi tamen modus variat. Paulus igitur mutato subjecto, non dicit: panis est corpus, sed panis est κενωσις corporis. Explicat igitur dilucidius propositionem Christi, qua dicitur comedite, hoc est corpus meum, cuius sensum genuinum & proprium propositione hac: panis est κενωσις corporis Christi, exponit. Argumenta, quibus pro sententiæ suæ defensione utuntur ab Ursino & Franco enumerata, ipsi conflictui publico, brevitatis ergo reservabimus, & ad quartum membrum progrediemur.

### *Membrum quartum, quid copula est indigiter.*

1. Membrum hoc quoque adversariorum nostrorum πολυκέφαλίας & dogmatis incertitudinem demonstrat, quibusdam est per significat exponentibus, alijs autem id ipsum strenuè negantibus. Polan. Lib. 6. Syntag. cap. 56. 447. metonymia sacramentalis, non est in subjecto nec in prædicato, sed inest metonymia illa in copula est, qua prædicatum subjecto attribuitur, & modus attributionis indicatur. D. Franc. in Inspect. Thess. 89.  
est ex-

est exponi potest per significat. *Bucan. de Cæn. Dom. p. 686.* Verbum est *ὁμοιωτικῶς* significativè repræsentative, figurative accipiendum. *Beza contra VVestphalum cap. 5 de tropo in verbo est, ait p. 218.* Ab hujus verbi *Est* recta explicacione tota pene pendet controversia, & subjungit *μεθωρικῶς* esse accipiendam.

2. *Piscator Herborn.* postquam aliquandiu temporis sententiã hanc calculo suo approbasset, tandem eidem nuntium misit, ut videre est in *Respons. ad Elench. Buscheri cap. 4. p. 485.* ubi inquit: quam doctrinam (copulam tropi esse capacem) quin à me ipso in responsione ad *Hoffmannum* retractatam atque emendatam esse constet, &c. *Matthias Martinus. Tract. 5. de Sede Tropi cap. 18.* inquit: *Est* verò est vinculum seu copula subjecti & prædicati, quæ quatenus talis tropum nullum sustinet; quia tropus est, quum vox unius argumenti ponitur pro voce alterius argumenti. In copula autem non est argumentum, seu nulla notio materialis enuntiati. *Kecker. Lib. 3. System. Theolog. p. 363.* inquit: alij volunt tropum esse in copula, quod & ipsum non potest probari, nam si sumant copulam pro voce & verbo copulativo, non potest esse in ea tropus, utpote qui locum habet in vocibus categorematicis, id est talibus, quæ certam rem per se significant, non autem in vocabulis confignicativis, quale est verbum illud quod copulæ loco ponitur. Quinimo si tropus est in copula, non poterit esse prædicatio disparati de disparato, &c.

3. Ex quibus liquet adversarios nostros in diversas abire partes, & in hanc usq; horam certi quid nondum conclusisse, ut ex *D. Franco Disput. 12. part. 2. Thes. 24.* videre est. Nos igitur omnium tutissimè ambulamus, vocem *Est* ut sonat accipientes, imprimis cum multos, aliàs in hac de *S. Cænæ* materia nobis adversantes, habeamus *ὁμοψήφους*. Et qui secus sentire volunt, ita se in volunt, ut ubi subsistant pedemque figant non invenient. Unde *Francus disput. 2. part. 2.* postquam asseverat nil ob stare quin in verbis *Cænæ* plures tropi concurrant, utpote: *Metaphoram, Metalepsin, Synecdochen, Motonymiam;* subjungit tamen  
*Thef. 31.*

*Thef. 31.* Sinamus ergo certare Rhetores & Grammaticos, nam  
adhuc sub iudice lis est. Et tantum de hoc membro

**Membrum quintum, vocabula corpus &  
sanguis quam significationem  
obtineant.**

1. Et in hoc membro dissensiones secus sententiarum con-  
spiciuntur. *Piscator. responsione ad Elench. Buscheri. p. 477* per  
corpus intelligit signum corporis. *Zuinglius*, ipso referente  
*Beza* contra *Westphalum p. 222.* corporis nomine mortem &  
passionem intelligit. Sed ab ipso *Beza* allegato jam loco re-  
futatur his verbis: corporis & sanguinis nominibus, nihil al-  
liud à nobis intelligitur quam illud ipsum naturale corpus  
Christi, quod pro nobis fuit cruci affixum, & verum illum san-  
guinem pro nobis effusum. Hujus sententiæ quoque est *Cal-*  
*vin.* Admonit. *ult. ad Westph. p. 314.* nobis principium cum ipsis  
commune est, designari Christi verbis, verum illud corpus, cu-  
jus immolatio nos Deo reconciliavit.

2. Hanc sententiam veritati consonam esse, ipsa textus  
*εὐχυσία* arguit, expressè enim dicitur: edite corpus *meum* quod  
pro vobis datur. Et discipuli dicuntur modo à Christo præscripto  
bibisse sanguinè Christi pro multis effundendū. Hæc verò asser-  
tio sententiæ nostræ applicata, non facit Christum bicorporem ut  
*Calvin.* contra *Westph. p. 314.* loquitur. Neq; negat veritatem cor-  
poris Christi ut *Franciscus* concludit *disp. 13. p. 2. Thef. 14.* Quæ enim  
consequentiarum ratio: corpus Christi sacramentaliter, id est, ar-  
cano invisibili & mystico præsentiam modo verè adest in Cæna,  
ac mediante pane ac vino editur ac bibitur. Et naturaliter,  
visibiliter ac localiter assegit mensæ: Ergo duplex habet cor-  
pus? Item: Christus habet verum corpus. Ergo panis non  
potest esse *signaria* corporis, nec vinum *μὲν* sanguinis Chri-  
sti. Quasi verò veram & essentialem corporis Christi cum  
benedicto pane præsentiam & manducationem in Sacra Cæ-  
na, ver-

G

na, ver-

na, verbis expressis promissam, natura corporis & ejus proprietates impediant.

3. Et quæso num hæc justa inter Christianos disputandi methodus, cui conscientia in tentationis præcipitio imprimis constituta turò inanti queat. Dicimus nos qui Lutherani audimus, Christum prævia ejusdem institutione in S. Cœnâ adesse ac verè corpus & sanguinem illius mediansibus symbolis externis pane & vino manducari & bibi. Illud negat *Calvinus*, *Zuinglius*, *Beza*, & quotquot in eodem Iudo edocti sunt: quia proprietates corporis id non admittant, nec possit fieri tempore uno, Homo idem duobus locis ut simul sit Comico dicente. Utri assentiendum, num Christo omnipotenti affirmanti; an verò proprietatibus corporis id negantibus? Num eodem modo quis negaret, Christum secundum humanam naturam subsistere *ἐν ἑσθίῳ καὶ λυγῶ* *Joh. 1. v. 14.* intrasse januis clausis ad discipulos. *Joh. 20. v. 26.* inambulasse aquis *Matth. 14. v. 26.* subito disparuisse *Luc. 24. v. 31.* cœlos penetrasse, *Hebr. 4. v. 14.* clauso sepulcro resurrexisse, *Matth. 28. v. 2.* quæ omnia tamen, proprietates corporis quamvis repugnent, scriptura de Christo, secundum humanam naturam considerato, prædicat.

4. Augustin. rationi rebus hisce, in scriptura revelatis recalcitranti recte respondet *Tom 10. Serm. 158.* quare miramur? quare non credimus? Deus est qui fecit, considera authorem & tolle dubitationem. Et *Serm 159.* Dicis ergo mihi si per ostia clausa Christus intravit, ubi est corporis pondus? Recedant paulisper modus & pondus. Ille hæc fecit, cui nihil impossibile est. Christus qui potuit carnem suam de sepulcro producere, non potuit clausis januis ad discipulos introire? Quando audis miraculum, serua fidem, non inquirat animus rationem. *Serm. 160.* sicut non est naturæ corporalis per januam clausam intrare, sic non est naturæ corporalis super fluctus maris ambulare. Intravit per clausa ostia, responde mihi, da mihi soliditatem carnis. Ambulavit super aquas maris, da mihi & tu pondus carnis. vis nosse hoc omnipotentæ fuisse? Ex quibus Augustini locis patet falsum esse quod *Calvinus* gloriatur

ter Lib. 4. Infit. cap. 17. §. 23. Augustinum sine controversia totum esse à suis partibus. Ambrosius Lib. 10. in cap. 24. Luca. p. 167. ait: habuit autem admirandi causam Thomas, cum videret clausis omnibus, per invia septa corporibus in offensa compage corpus insertum, & ideo mirum, quomodo se natura corporea per impenetrabile corpus infuderit Chrysostr. hom. 86. in Joh. p. 120. suum calculum addit hisce verbis: corpus tam tenue & leve ut clausis Januis ingrederetur, omni crassitudine carebat.

5. Cæterum quando his patrum dictis respondet Martyr. in Dialogo p. 97. non esse absimile Januas ad Christi accessum celsisse, vel potuisse per fenestras per tecta vel undecunque voluit ingredi. Sive ut Polan. in Syntag. Lib. 6. cap. 24. & Sadeel de verit. Hum. Nat. p. 200. ajunt: januas ultrò Christo patuisse & celsisse ut Domino & Deo suo vel ipsos parietes Christo fuisse pervios, ut Beza & Junius in Nov. Testam. hoc loco annotant. Tum manifestò indicant se pluris cerebri sui phantasmata facere, quam expressum Dei verbum, & miraculum magis quærere in parietibus & tectis, quam in ipso Christi corpore. Textum itaque inspicientes, expressè dicit Evangelista: Christum januis clausis ad discipulos (ut hinc spiritum se videre putarent Luc. 24. v. 37.) esse ingressum, quæ verba dicente Gualtero Hom. 235. non denotant temporis conditionem, illa enim præcessit, cum Evangelista inquit cum vespera esset, & fores essent clausæ. Hanc veritatem vel invitus idem agnoscens Gualth. subjungit: Si quid hic factum miraculosè, non ideo corporis veritas in dubium vocari debet. Sed quinam hos faciant Gualtheres, nos, an tui similes, res ipsa loquitur. Et in eo totius negotij cardo vertitur: an antè commemorata Christo attributa veritatem corporis ejusdem destruant. Id ex suo cerebro, rationis humanæ dictamen secuti affirmant, hinc nobis contradicentes. Nos verò scriptura prævia Christum verum hominem ore & corde asserimus, & agnoscimus, ita tamen quia in unitatem  $\epsilon\upsilon\omicron\varsigma\acute{\alpha}\pi\omicron\upsilon\varsigma$   $\tau\omicron\upsilon$   $\lambda\omicron\gamma\omicron\varsigma$  hæc natura est assumpta, & corpus Christi non est  $\psi\iota\lambda\omicron\varsigma$   $\acute{\alpha}\nu\theta\rho\acute{\omega}\pi\omicron\varsigma$ , sed unigeniti filij DEI corpus.

C 2.

Hinc

**N**unc si quid supra naturam humanam in verbo Dei de illo dicitur, non ex proprietatibus naturalibus & viribus quæ illud per naturam admittere nequeant, sed Dominicæ incarnationis gloria, & virtutis ac potentix divinæ privilegio æstimari debet. Unde *Marloratus* super *cap. 20. Johan.* rectè ait: Quod Christus Januis clausis venit ad discipulos, divinæ in illo potentix illustre speciem continet. Et *August. Tom. 3. de Agon. Christ. cap. 24. p. 1027.* objectioni adversariorum nostrorum respondet: nec moveat nos, inquit, quod clausis ostijs subito eum apparuisse discipulis scriptum est, ut propterea negemus illud fuisse corpus humanum, quia contra naturam hujus corporis videmus illud per clausa ostia intrare, omnia enimabilia sunt Deo, commode h. l. conferri possunt, quæ *Calvin cap. 6. Gen. p. 90.* habet ubi exprèsse inquit, Dei virtutem omnes sensus longè superare, & licet communis ordo naturæ repugnet tamen verum esse judicandum.

6. Christum clauso sepulcro resurrexisse negat *Sadcel de Sacram. Mand. corp. Christ. p. 314.* illumque sequitur *Martinus Bremensis. Calv. Lib. 4. Instic. cap. 17. §. 29.* ait: ad occursum Christi lapidis duritiem sese flexisse, subjungit tamen probabilius esse Christi imperio lapidem fuisse amorum, & mox transitu dato in suum locum rediisse: *Sohn. Tom. 2. Art. 3. de person. Christi p. 263.* dubitanter hac de re loquitur, dum ait lapidem vel ad momentum cessisse, vel quod verisimilius esse judicat, in terræ motu devoluro lapide, & aperto sepulcro, angelis Christo tanquam Domino ministrantibus. Quibus verba Evangelistæ clarissima sunt opponenda, Christum scilicet clauso sepulcro resurrexisse, nulla fit mentio, lapidis duritiem sese flexisse. Nec quoque dicitur Angelum lapidem removisse, asserente enim ipso *Calvino in Harm. Evang. p. 360* sine teste egressus est è pulcro, ut locus vacuus primum indicium foret, deinde mulieribus per Angelos nuntiari voluit se vivere.

7. Disparitionem Christi apud Lucam descriptam, *Calv. Lib. 2. Inst. cap. 17. §. 29.* de retentione oculorum discipulorum exponit, *Polan, Lib. 6. Synrag. cap. 24.* vel ad repentinam discessio-

483

nem, vel quod oculi eorum iterum tenerentur, refert. Deinde ait Christum factum in conspicuum, non quasi absolute & in se invisibilis factus sit, sed discipulorum respectu, &c. Respondeo quæ de retentione oculorum dicuntur nullum in textu eo loco habent fundamentum, quod ergo sine textu asseritur eadem facilitate rejicitur, qua asstruitur Repentina discessio facta *ἐν τῷ ὄρει* itidem ex hypothese Adversariorum, veritati corporis repugnat, cum omne corpus successive, exigente id ejus proprietate, de loco in locum moveri dicant. Si v. discessio illa facta est successive nullum hic describitur miraculum, communissimum enim est abeuntem ac localiter discedentem fieri *ἀφανῆ*. Quod subjungitur: Christum discipulorum respectu invisibilem factum, illud libenter concedimus, & ita Thesis nostra confirmatur, scil. actu videri non esse essentialem corporis proprietatem, proindeque posse Christum etiam secundum humanitatem alicubi esse præsentem, actu licet non videatur.

8. Penetrationem cælorum *Sudeel de sacram. Manducat. p. 314.* exponit de cælis apertis, ita enim loquitur: Christum cælos penetrasse, ita expono, ut id quod sæpe in scriptura occurrat de cælis apertis. verum illa responsio nõ satis facit argumeto. Scriptura enim Sacra de Solo Christo affirmat, quod cælos penetravit *Hebr. 4. v. 14* Enoch & Elias vivi quamvis in cælum sublati non tamen cælos penetrasse affirmantur. Ad summam ergo Christi gloriam hæc cælorum penetratio pertinet. Unde *Hebr. 7. v. 26.* dicitur cælis sublimior factus: & ascendisse super omnes cælos *Eph. 4. v. 10.* ac ad dextram virtutis *Luc. 22. v. 69.* ac majestatis Dei *Hebr. 8. v. 1.* sedisse, quod nulli creaturarum competit *Hebr. 1. v. 13.* Ex quibus omnibus abunde satis liquet, Christum, qua homo est, non esse communibus naturæ regulis alligatū. Ita ergo asserenda naturæ humanæ veritas; ne tamen propterea corporis Christi glorificati ad dextram Dei sedentis, id est paulo interprete ad modum dextræ Dei regnantis *1. Corin. 15. v. 25.* negetur majestas, prærogativa ac dignitas. Nos hæc finientes cum Johanne *Apoc. 5. v. 13.* ingeminamus: sedenti in Throno & Agno benedictio & honor & gloria & potestas in secula seculorum.





## Coronis.

**N**E pagella quædam remaneret vacua, placet brevibus subjungere quæstionem *αυθρητικη*, à præfenti tamen disputatione non alienam: an placentulæ orbiculares, quæ apud nos hodiernum, qui Lutherani audimus, in Eucharistiæ administratione usitatæ sunt, rectè retineantur? Quamvis autem illa Quæstio non magni momenti initio esse videatur, imprimis cum integræ Ecclesiæ apud reformatos, ut vulgò vocantur, iisdem in hoc usque tempus utantur; quia tamen alij, placentulis orbicularibus, quas usitato nomine hostias sive oblata (ex consuetudine veteris Ecclesiæ, qua de vide *Irenæum Lib. 4. cap. 34.* conferri potest locus *Phil. 4. vers. 18.* & ipse *Francus disput. 8. part. 1. Thes. 58.*) vocamus minus favent, adeo quidem, ut iudice *D. Franco Disput. 10. part. 1. Lamp. Thes. 10.* panis Indicus ex radicibus confectus melior sit, hostijs nostris, ut vocat, numularijs. sub Antichristi Tyrannide in Ecclesiam invehctis. Cum hostiæ nostræ sint spumosa & nebulosa, sicut idem *Francus Disput. de Coena Th. 90.* loquitur, neque formam neque figuram panis usualis, qualem Christus adhibuit habeant, neque officium panis præstent, imò ne panem quidem repræsentent, aut similitudinem aliquam ejusdem retineant, sed esse nebulas, & tantum cum verò pane convenire, quantum nebulæ cum aqua, ex qua calore Solis aut ignis concoctæ illæ attenuantur, & in aerem sublimantur, quæ sunt

sunt D Franci verba loco supra allegato. Et ne quid  
deesset pergit idem *Francus Thes.* 28. proprietates pa-  
nis contra hostias colligere, & concludit gluten esse  
hostias, viscidas & lentas obfignandis literis ac folijs  
chartarum compingendis servientes. Quæ si vera es-  
sent, Ecclesias nostras maximi erroris convincerent,  
cum enim Servator noster pane usus sit, decet utique  
nos & illum in usu Coenæ adhibere, nostrum enim non  
est Testamentum Christi invertere, principid autem  
distingnuendum est inter panis substantiam, ac ejus-  
dem qualitates & accidentia. Quamvis hostiæ qui-  
bus Ecclesia tot seculis usa est, hodieque utitur, non  
habeant omnes panis cibarij qualitates & accidentia,  
inde tamen minus rectè quod non sint panis, negatur.  
Sicut vel hac ratione constat: cui definitio panis verè &  
propriè competit, illi & verè tribuitur definitum. Atqui  
hostijs, quibus in S. Coenæ dispensatione utimur, defi-  
nitio panis competit. Ergò panis definitur, quod con-  
stet ex farina & aqua, sic inter se commixtis ut cras-  
siore humore per calorem externum absumpto ad  
unam masticabilem & nutritiam consistentiam redi-  
gantur. Illam definitionem hostijs nostris compete-  
re adeo clarum est, ut *Matthias Martinus Tractat.* 5.  
c. 6. p. 228. quærens an hostia dici possit panis, respondeat  
panis dici potest, quia è farina vi ignis est coctus.  
Bene itaque sese res habet, Christus usus est in Sacrae  
Coenæ distributione verò & naturali pane: idem  
& nos Christum imitantes facimus. Et quamvis an-  
tenac in papatu abusus circa hostias irreperit, illum  
secu-

sicuti ex animo detestamur, ita eundemque ex no-  
stris Ecclesijs ultra Sauromatas & glaciam oceanum  
relegavimus, abusus ergo ille non tollit rei substan-  
tiam, quod vel suo exemplo Ecclesia Basiliensis ho-  
stiarum usum in hunc usque diem retinens confir-  
mat. Reliqua de hac questione dicenda  
ipsi discursui reserva-  
bimus.

F I N I S







mem, vel quod oculi eorum iterum tenerentur, refer  
Christum factum in conspicium, non quasi absol  
inuisibilis factus sit, sed discipulorum respectu, & c  
quæ de retentione oculorum dicuntur nullum in  
habent fundamentum, quod ergo sine textu afferri  
cilitate rejicitur, qua astringitur. Repentina discessio  
iridem ex hypothesi Adversariorum, veritati co  
gnat, cum omne corpus successive, exigente id ejus  
de loco in locum moveri dicant. Si v. discessio illa  
cessive nullum hic describitur miraculum, commu  
nim est abeuntem ac localiter discedentem fie  
Quod subjungitur: Christum discipulorum respe  
lem factum, illud libenter concedimus, & ita Thefi  
firmatur, scil. actu videri non esse essentialem corp  
tatem, proindeque posse Christum etiam secundum  
tem alicubi esse præsentem, actu licet non videatur.

8. Penetrationem cælorum *Sadeel de sacran*  
p. 314. exponit de cælis apertis, ita enim loquitur  
cælos penetrasse, ita expono, ut id quod sæpe in scri  
rit de cælis apertis. verum illa responsio nõ satis fac  
Scriptura enim Sacra de Solo Christo affirmat, quod  
tratit *Hebr. 4. v. 14.* Enoch & Elias vivi quamvis in cæ  
non tamen cælos penetrasse affirmantur. Ad su  
Christi gloriæ hæc cælorum penetratio perrinet  
7. v. 26. dicitur cælis sublimior factus: & ascendisse  
cælos. *Eph. 4. v. 10.* ac ad dextram virtutis *Luc. 22. v. 69.*  
Dei *Hebr. 8. v. 1.* sedisse, quod nulli creaturarum com  
v. 13. Ex quibus omnibus abunde satis liquet, C  
homo est, non esse communibus naturæ regulis allig  
asserenda naturæ humanæ veritas; ne tamen propte  
Christi glorificati ad dextram Dei sedentis, id est  
prete ad modum dextræ Dei regnantis *1. Corin. 15. v.*  
majestas, prærogativa ac dignitas. Noshic finientes c  
4x *Apoc. 5. v. 13.* ingeminamus: sedenti in Throno &  
dictio & honor & gloria & potestas in secula seculo

C 3

